

21

22

23

24

25

26

1707.

21. Wedelinus, Georgius Wolfgangius, Fac. med. Decanus 1.

De sabina scripturæ (ad Disputationem salomonis  
Johannis Melchiori Brueckler invitat).

22. Wedelinus, Georgius Wolfgangius, Fac. med. Decanus 1.

Prophecyron mag : De lignis thymis apocalypses  
in genere (ad Disputationem Georgii Hieronimi Hess.  
regni invitata).

23. Wildrogelius, Christianus, Collegii juris Decanus -

De aqua lance et l. 20 d. 70 iud. Programe (lectio  
auspicata Johannis Hauri (littera praemissa))

24<sup>a</sup> = Wildrogelius, Christianus : De appellationibus.

in causis non appellib. bus. 2 Sauntl. 1707-1763

25<sup>a</sup> = Wildrogelius, Christianus : De unione Electorali.  
2 Sauntl.

26<sup>a</sup> = Wildrogelius, Christianus : De scanno coni. Titorum  
causis vero 3 Sauntl.

1707.

274<sup>st</sup> Scherullin, Ohanno; &c: De conventibus mo-  
nasticis I. R. F. III Superiorum Correspondentium  
Circulorum, Franciae, Bavariae, Iherial  
Accenserunt: Observanda quaedam curiosa monet  
recens. monet monistimum. 2 Sept. Rec. 1739-

1735

Ig. Wildvogelius, Christianus: De jure embatentio sine  
facultate bona ieiunis propria auctoritate occupatio.

Ig. 27 Wildvogelius, Christianus: Suntur invetus. 2 Sept.





*Günther Rautenkranz*  
2. II. 1890.

12.

GEORGII VVOLFFGANGI  
VVEDELII,

HEREDITARII IN *Schwarba*/  
MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS  
PALATINI CÆSAREI, SERENISSIMORVM  
SAXONIÆ DVCVM CONSILIARII ET  
ARCHIATRI, THEORETICES  
PROFESSORIS PVBLICI  
ORDINARII,

FACVLTATIS MEDICÆ  
DECANI,

*Propempticon Inaugurale,*

DE  
SABINA SCRIPTVRÆ.

IENÆ,  
TYPIS CHRISTOPHORI KREBSII.

*1707. Joh. Mold. Dresden*

COPIA



**A**pientissimus omnium me-  
rito celebratur **SALOMO**, rex Israelitarum,  
tum ob alias animi excelsas dotes, tum ob  
scientiam rerum naturalium, & quæcunque in  
his ab homine sciri & cognosci possunt, vnde &  
reconditæ huius sapientiæ in scriptis velut au-  
reolæ passim elucent.

Ex his vulgo minus astimari visus locus  
insignis est, quando ad pulchritudinem, excellentiam ac splendorem  
domorum describendam, si ad literam illa intelligamus, in *Canticorum cap. i. vers. 17.* *Trubes inquit, domorum nostrarum cedrina, la-*  
*quearia nostra abiagna,* interprete *Pagnino.*

Vt ut vero etiam de toto textu plura occurrant dicenda, attamen  
cum agatur de materia, & structura aedium, de ligno non uno, sed  
geminio, adeoque & nomine duplici, & consequenter vsu singulorū;  
operae pretium fuerit, vocare etiam hæc ad forum physico-me-  
dicum & mechanicum.

Ligna ad basin ædificiorum, ad tigna, trabes, parietes, intersti-  
tia, fundamenta, lege artis facientia, varia quidem in vsu sunt;  
alia tamen selecta præ aliis, seu firmitudinem spectes, seu duratio-  
nem, ipsamque aptitudinem; alia ad esse, alia ad bene esse; alia ad  
vsum primarium, alia secundarium, ornatum ipsum. Singula sa-  
cer textus accurate nominat, seu vtraque potius.

Quotiescunque vero in hoc vel illo loco variant interpretes in  
versione, arguantur fas est, dubiam esse significationem, non enim nisi  
vna est veritas, in radice, reliqua voces sunt mutuositat, & succeda-  
nex, quid pro quo vocant medici vulgo. Quare dulcius ex ipso fon-  
te bibuntur aquæ. Neque male hinc absolute iudicandum est, quan-  
do non genuinus, verus & vnu sensus exprimitur. Idque dupli fe-  
re de causa contingit, partim ex linguarum notione minus accurata,  
partim & potissimum ex ignorantia subiecti, seu materia ipsius, qua  
de agitur. Vtraque nota esse debent, & coniungi, si veritatem scruti-  
tem accurate; sin securus, æquiuocatio emergit, nec exhaustiri potest,  
sed dubia manet mens textus cuiuscunque, nedium mystici.

Non

\*(3)\*

Non laudabimus vocem ligni prioris ■ אָרוֹן ab aliis abietem, ab aliis laricem reddi, unde id inconueniens emergit, si abietem & posteriori tribuas, vt frustranea resultet repetitio. Ast facile hoc diluitur, & cessat, si cedrum vertamus, quod fontibus Hebrais optime & uincere quadrat: maior de altero dubitatio & dissensus est, id quod praecepue iam nostrum faciemus.

Enimuero circa vocem ■ בְּרוֹתִים *brutina* vulgo, reuera, quod diximus, euenit, & exemplum habetur, non posse eluctari, qui rectissime etiam reddit ad literam, ob dubiam descriptionem eorum, a quibus ediscere par erat, quid rei esset; quæ quamdui latet, obscura est, nec noueris, quæ, qualis, quanta sit, vnde in deuia fletur interpretes, etiam callentissimos.

Vtraque itaque ineunda est via, consulendæ sunt lingua, originaria & soriantes, consulendi rei naturalis scriptores, seu ex ipsa re hinc philosophandum est; donec concordent vtraque, quo facto exoptatus obtinetur finis. Vox ■ בְּרוֹתִים fine dubio pluralis est, & sic pluralitatem notat, si non speciei, h. i. arborum, tamen partium, ex una eademque factam diuisuram, segmenta plura, quod apprime vñi laudando conuenit. Singularis vero est ■ בְּרֵת.

Quod si iam visamus, quomodo versa & reditta sit, facilius καὶ ἄγον poterimus dicere quid non sit, & hinc κατὰ γένον, quid sit. Communissima explicatio est *Aben-Efra*, quem plerique sequuntur, tanquam Hebreum; ille vero ex simili quæsiuit criticam analogiam. Cum enim affinia videantur ■ בְּרוֹתִים *brees*, confudit arbores inter se distinctas, fingendo commutationem שׁ & ת illicitam & incongruam, nulla cogente necessitate, & relinquenda sibi distinctione necessaria, vt rei, ita & nominis, ac vice versa.

Sed nec inde negligenda est vox sacri textus, & substituenda alia arbor, v. g. *Quercu*. Ita enim vertunt Biblia *S. ben Ediana*: Trabes domuum nostrarum (sunt) cedri, ambulacrum nostrum *quercu*. Nulla enim appetit ratio, nisi quod desperando de genuina ac vera explicatione ignotum per notius nomen reddere satagamus, incerta nihilominus & sic relicta in dubio significatione, eius, de quo quæstio erat.

Cum ergo *Buxtorfio* ipsi memorata verosimilis sit magis exppositio de Igno brutino, mirum est, alios illum minus secutos, qui alter reddidere; aut tuendæ sunt haec partes, aut rectius aliud istis proferendum.

dum. Hinc optimū erit, utrumque prosequi. In bibliis polyglotis quidem non aliā reperias, quam vulgaribus dictis congruam, quamvis *Targum* seu *Chaldaica translatio* cypresso addat arceuton, (seū iuniperum,) & pinum; nil obstat tamen, quin authenticum textum *δέντρον οὐούς*, seu fontibus aliis, Arabicis, Græcis & Latinis audemus illustrare.

Enimuero *Arabibus* دَرْأَنْيٰ est *sabīn*, nemine dubitante, quæ vox etiam apud *Diodorum Siculorum* refertur & extat, & varia inflexione in barathron, boraton, barython, byraton, ut solet eiusmodi casibus fieri, detorta, revera tamen eadem. Græcis, posterioribus in primis, ut *Dioscorid.*, *Galen* & reliquis *βεγήν* & *βεγήνος* audit. Per syncopen & contractionem scilicet eliso o, imo, cum apud Latinos t durum, & th eodem fere sono efferantur, viterius processit detorlio, & vocales ipse suos, vt sic loquar, passæ sunt manes.

Adeoque factum est, ut arbor hæc, ex eodem fundamento, flexione nota huius linguae & solenni, omnibus aliis contra, in vs, dicta sit *Pinius brucus*, quæ lectio correctior & genuina magis est. Loco huius vero, cum videretur hæc minus quadrare aliis vocibus Aufontiis, & ab iis abludere, per criticam, i.e. variam hinc lectionem in quamplurimis editionibus *arboris bruta* de nominatio enata fuit.

Neque id adeo mirandum, si cogitemus, vel nouerimus ex hoc & aliis exemplis, qui excerptendo solum occupantur, & ex autoribus magis, quam ex re ipsa sapiunt, talibus abunde velificari erroribus, confundendo homogenea, & sic entia multiplicando prater necessitatem; non aliter, ac præcones olim, qui personam hanc illam publice laudabant, nec adstantem tamen agnoscabant.

Sed audiamus iam huius censu *Plinium*, quid scribat de arbore bruta, seu brato potius, ut ex MSS. collectum est, vel animaduersum & sic correttum merito, (ne dicamus, quibusdam bruten legi,) locus est l. 12. *Nat. Hist.* c. 17. Petunt, scribit, (Arabes,) in Helimæos arborēm bratum, cypresso fusæ similem ex albidis ramis, iucundi odoris accensam, odorem esse proximum cedro, & reliqua. Sane omnia hæc quadrant *sabinæ*, imo ipsissima sic describitur, cypresso similis, & eodem autore, & omnium consensu, vnde & *Sabinam - Cupressum*, verbis *Apulei*, aptissime vocant. Rechte hinc *Pinerus*, interpres Gallus, felon aucas, ait, c'est la premiere espece de saunier,

Quid

Quid enim est cupressus fusa, quam Sabina, cuius proprium est, omnium autorum consensu, & autopsia teste, ut in latitudinem magis diffundatur, quam in sublimem elata deprehendatur, sibi relicta. Vnde revera arbor bratus, cum brathy, seu Sabina, cuius l. 24. c. 8. meminit, plane eadem est, non alia, quicquid etiam ali contra ea affectant, neque enim alia huius generis demonstrari potest, quae de eadem praedicari possint, seu quoad nomen, seu quoad rem ipsam, affectiones, usum substratum materiarum, & reliqua.

Notanter vero ex textu *Plini* patet, illum hanc arborem non vidisse, dum ex aliis haec describit. Licet vero proprius paulo illi interpres scopo accedere videri possint, qui cupressum vertunt, optimo & rectissime tamen, qui sabinam - cupressum, cupressum Creticanum, vel potius uno verbo recepto sabinam, reddunt, vel persuaderi possunt, ut ita vertant.

Non possumus hoc loco, quin illud notemus, in *Concordantia Bibliorum Germanico - Hebraico - Grecis*, insigni errore, ut nobis quidem videtur, vocem בָּרְזַבָּן נֶדֶגְוּ versam, & cum altera בָּרוֹזָבָן, adeoquecedrum cum cupresso confusam legi, quod euoluenti locum mox oculis patebit.

Enimuero porro in textu sacro notandus venit usus specialis, & quidem sicut cedrus ad trabes, & tigna, ita sabinus, ut nomen Latinum hodie receptum ex merito retineamus, ad laquearia, vel, ut alii redunt, ad ambulacra inferunt, quae facile conciliari queunt, si quidem ornatum, quem præstat, intelligi, & decorum, reputemus.

Quod si itaque sequamur LXX. qui Φαρύπαλον reddunt, seu λαγκαρία, idem emergit, ac, si verbis *Tullii* loquamur, templum vndique factum, pulcherrime laqueatum. Germ. Fäffelvers / getäffelte Deschen des Gemachs. Si cum *Lucilio* apud *Ipsorum*, ex cedro & sabinis resultant adesque lacusque. Notabile hinc porro est, & apud Ezechias ερωθει τις εν Γοια, conignationis olim veruissimas ex Thuria, confessas fuisse, quae ipissima sunt laquearia; qui locus hunc quoque sacrum magis confirmat.

Sed ut haec videntur ad literam clare sati patere, ita ex hisce fundamentis vel scitis medicis, si Christianum in morem nobis licet, sensu mystico applicare, dixerimus symbolum hoc esse piorum ac fidelium. Quid aliud est corpus nostrum, vel esse debet, quam dominus, eaque non tam anima nostra, quam Dei viuentis O. M. &

templum Spiritus Sancti? quid corpora nostra, quam membra Christi? quid ipsimet, quam domestici Dei, superstructi super fundamentum Apostolorum ac Prophetarum, cuius imus angulis lapis est ipse Iesu CHRISTVS, ut verbis Scripturæ congrue loquamur.

Cedrus ergo symbolum sit fidei, cuius excelsitas, firmitas & constantia, huc commode applicatur, hæc quippe vnicet decet corda fidelium, si aduentum gratiosum, & mortuorum, mansionem, diuino numini & sacro sancto præbere debeant. Sabina sua humilitate & diffusione in ramos, & inclinatione ramorum in terram, amoris proximi signaculum largitur. Vtraque communis viridanti & immarcescibili colore, odore, & thyinorum lignorum affectionibus aliis, precum, tanquam sacrificiorum genuinorum, spei, & reliquarum virtutum, verbo pietatis, lemmata constituant singulis.

Ita vero totum edificium & in individuo, & communione sanctorum in viueresa ecclesia, congruerter coagmentatum crescit in templum sanctum in Domino, in quo coedificamur in habitaculum Dei per spiritum, vt iterum verbis scripturæ utamur.

Cum itaque Buxtorfum, Coelium, cogitationibus in hunc locum, (qui reddit signa domum nostrarum sunt cedri, trabes nostræ brutinas,) & ex nostris I. Olearium &c. sequamur, & quid sint ligna brutina, quoad nomen & rem ipsam, hactenus vulgo negletam, vel ignorantiam, quoad materiale & formale, exposuerimus, facile efficitur, nostra quidem opinione, hanc interpretationem esse genuinam.

Quadrare vero Sabinam, seu, si maius, arborem bratum, eodem nomine signatam, ad laquearia, ad mensas, ad arte elaborata alia, veteribusque longe tum notissima, tum pretiosissima, partim alias profanis autoribus, medicis, & historicis, partim autoplia & mechanicalia, facilissimum erit viterius demonstrare.

Tacemus alia hoc applicanda, & promptissime inde fluentia, etiam ad mysticum maxime sensum, quod centrum ligni huius lectissimi & incomparabilis sit rubrum, peripheria alba, & plura similia, suo loco addenda.

Præmittere hæc voluimus DISSERTATIONI IN AVGVRALI, DE VRTICIS, Clarissimi & meritissimi Artis medicae Candidati

IOHAN.

\*(7)\*

# IOHANNIS MELCHIORIS DRECHSLERI.

Lucem primitus aspexit, anno post recuperatam salutem  
MDC XXCII. D. V. Maii Wanslebiæ, vrbe in Ducatu Magdebur-  
genſi ſita, parentibus honestiſimis; Patre MELCHIORE DRECHSLERO,  
Præfecto iam memoratæ vrbis, diſtriictusque incorporati, laudatiſſi-  
mo, iamdudum autem ad meliorem vitam vocato; Matre omni vir-  
tutum laude ornatiſima, SOPHIA, nata LÜTERBOCKN.

Huic, poft immaturum optimi Mariti obitum, multum fuit fo-  
licitudinis, quo eum a primis ſtatim annis, tam pietatis atque pro-  
bitatis, quam bonarum artium fundamentis, Præceptorum dexterri-  
morum ducet, imbutum redderet.

Aurigante autem fato Thuringiam vœctus, cura dein ac amore  
paterno vere singulari, & ex ore eiusdem vix ſatis deprædicando frui-  
tus eft Admodum Reuerendi & Ampliſimi, M. IOHANNIS CHRI-  
STOPHORI LISTI, Paſtoris Vtenbachenſis & Köſtnizenſis vigilantifii-  
mi, inſimulque Dioceſeos Dornburgenſis Adiuncti grauiſimi, cu-  
ius ſuas, vterius progredi intendens, Lyceum Vinarienſe adiit,  
promptiſimosque ibidem ſedula informatione reperit Ampliſi-  
mos & præclarifimos PHILIPPVM GROSGBAVERVM, Rectorem, & M.  
IOHANNEM GÜNTHERVM, Con-Rectorem, Præceptores folertiſimos,  
fidieliſimosque.

Per quinquennium iſtic locorum commoratus, florentiſimum  
deum hunc noſtrum ascendit Heliconem, inque ordinem Studioſo-  
rum receptus, anno M DCC I. d. IX. Auguſti, me Pro-Rectori, nihil  
prius, nihil antiquius habuit, quam vt in Philosophicis & Medicis  
ſcholis, ſub ductu Virorum Clarifimorum, Nobiliſimorum, Excel-  
lentiſimorum, & Celeberrimorum ſolidos ſibi ſeneraret profeſtus.

In illis, nominatim in Logicis, ope & manuductione uetus eft  
M. IOHANNIS SIMONIS BVRGOLDI, Facult. Phil. t. t. Adiuncti: in  
Ethicis & Politicis D. IOHANNIS PHILIPPI TREVNERI, Logic. & Me-  
taphys. Professoris: in Physicis autem, Mathematicis, & Curioſis val-  
de delectabilibus experimentis, GEORGII ALBERTI HAMBERGERI, Ma-  
thematum & Physices Professoris, cuius promptitudinem & humani-  
tatem decenter extollit,

(3.1)

Medi-

Medicis his, tanquam basi, superstruens, multum lucis ac commo-  
di percepit e Lectionibus publicis Therapeuticis venerandi Senioris  
D. RUDOLFI GUILIELMI CRAVSI, Hered. in Mellingen, Praxeos &  
Chimie Professoris, itemque Academiae Leopoldinæ College primarii.

Cumque nostrum etiam laudare ipsi placuerit testimonium, me-  
rito laudem modesti moris, diligentia, & profectuum insignium, tam  
in publicis ordinariis, quam priuatis Lectionibus acquiritorum, tri-  
buimus & exhibemus, seu Theoretica exercitia species, seu pra-  
etica, quæ sedulo frequentauit.

Deprædicat in primis laudatissimam informationem, affectum, &  
humanitatem D. Ioh. HADRIANI SLEVOGTHI, Hered. in Ober-Rosla,  
Anat. Botan. & Chirurg. Professoris & Med. Duc. Provincialis Saxon-  
ici, quibus, tam in demonstrationibus publicis botanicis & anatom-  
icis, (quas in octo cadaueribus humanis, tribus masculinis, & quin-  
que femininis, binumero grauidis, publice artificiose dissectis, vi-  
dissim gloriatur,) quam priuatis, anatomico-chirurgicis, chimico-  
pharmaceuticis, exercitio disputatorio, casuali practico, librorum ra-  
tiorum beneuola communicatione, aditu liberiori, ad selectum ma-  
teria medice instructissimum, concessio, priuatisque discursibus fru-  
ge resertissimis, ipsum beatuit.

Lectionibus demum publicis, aphorismos Hippocratis & opera-  
tiones selectiores Chirurgicas explanantibus, D. ERNESTI HEINRICE  
WEDELI, Prof. Publ. Extraord. sedulo interfuit.

His aliisque mediis sufficienter formato & confirmato ingenii  
robore, vt digno charæctere prædictus acquisitas dotes in proximi ialu-  
tem impendere posuit, a Facultate nostra decenter petuit, vt in nu-  
merum Candidatorum reciperetur. Admissus sufficienter profetus  
suo in Examinibus probauit, vnde cathedra quoque publica eidem  
adaperta fuit.

Cum ergo publice D. XXIII. Maii habiturus sit Dissertatio-  
nem solennem laudatam, sub præsidio SLEVOGTHIANO, vt actui  
hujus gratiosa & beneuola sua præsente interesse dignentur Magnifi-  
cus Pro-Rector, Illustrissimus Comes, Patres Academiae venerandi,  
& omnium ordinum Hospites & Commititones nati simi, decenti-  
sime, obseruanter & humaniter oro rogoque. P. P. sub Sigil-  
lo Facultatis Ienz, D. XXII. Maii,

M DCC VII.

(L. S.)

Jena, Diss., 1707 W-2




f

Sb.

Von 18





Gustav Reuter  
2. II. 1890. 12.

GEORGII VVOLFGANGI  
V VEDELII,  
HEREDITARII IN <sup>2</sup>Schwarba/  
MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS  
PALATINI CÆSAREI, SERENISSIMORVM  
SAXONIÆ DVCVM CONSILIA RI ET  
ARCHIATRI, THEORETICES  
PROFESSORIS PVBLICI  
ORDINARI,

FACVLTATIS MEDICÆ  
DECANI,  
*Propempticon Inaugurale,*  
DE  
SABINA SCRIPTVRÆ.

IENÆ,  
TYPIS CHRISTOPHORI KREBSII.